



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Christina Mirabilis. 24. Iulii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

## S. CHRISTINA MIRABILIS.

24. Iulii.

**R** EATÈ Orbis CHRISTINAM mirabilem dicit, quando talis etiam est vita ejus. Tu quoque mecum mirare. In Hasbaniâ & nata & denata postquam oculis purgantium animarum in piacularibus flammis tormenta arbitrata est, patulum cælum habuit; nunquam excludenda, si semel modò ingredi libuisset. Sed commiseratio, quam in animo visa supplicia reliquerant, tantum potuerit, ut elegerit in vitam redire, & alienas noxas in suo corpusculo plectere; probante ipso Christo Iudice pium consilium. Horrescit animus narrare, quæ deinceps viva iterum virgo facere non exhorruit. Unum vita tota portentum fuit. Nam, ut alia omittam, volucrem illa pernicitate suâ vincere, & jam fornaces succensas ingredi, jam glacie duratas aquas subire, modò è patibulis se suspendere, modò facinorosorum rotis membra illigare, interdum per sentes & vepreta volutari, canumque dentes in se armare. Porrò vaticinia complura edidit. De decretorio illo Judicii die magno animorum motu concionari solita, scelera omnia, sed luxuriam potissimum, assiduo fletu gemituque damnavit. In supremo tamen morbo recreata est Angelicis modu-

462 VITÆ SANCTORUM. 25. Iulii.  
modulis, iterumque è vitâ abiens non u-  
nam jam animam cælo intulit. *Ex Surio.*

*Si est sub terrâ Tartari carcer, si est com-  
bustio ardens, si est Infernus sine fine cru-  
cians, quid stupemus quare non omnibus  
contemptis sola nobis cura sit evadendi à  
malis talibus, ne viventes mundo ad can-  
tas, tales, tam crudeles subito rapiamus  
pœnas? S. Pet. Chryf. serm. 124.*

S. JACOBUS APOSTOLUS.  
25. Iulii.

**L**Audes JACOBI scripturo pennam  
ultrò JACOBI volucres ingerunt.  
Audi juvenus, & patronum tuum me-  
cum lauda. Ibant conjuges pii Compo-  
stellam, & trahebant pietatis suæ comi-  
tem filium formâ liberali juvenem. O  
ut periculosè castitas peregrinaris! Hof-  
pitis filia oculis capta adolescentis, ca-  
pere etiam ipsum nititur. Evadit hic mu-  
liebris amoris laqueos, sed non odii. Sub-  
dola enim inter sarcinulas castissimi au-  
reum craterem condit, & abeuntem de  
furto accusat. Damnatur, ducitur, &  
in crucem tollitur; sed non moritur in-  
nocentia. Dum enim mœsti parentes iter  
relegunt, dum agrè & pedes trahunt &  
animas senectutis scipione filio amissò,  
dum frui illos vel pendentis aspectu ju-  
vat, ecce ab infelici arbore filius: Quid  
lacrymis vivo parentas mater? vivo Dei  
Matre.